

Declaratio.

ut diagramma hoc dilucidius reddatur observanda sunt hæ regule.

PRima. Si duarum proportionum denominatores inter se multiplicentur seorsim, & numeratores earundem itidem seorsim, tum hæ duæ proportiones invicem adduntur. Ut inter numeros 81. ad 80. est comma, & inter numeros 729. & 720. est itidem comma. Si jam 81. in numerum 729. multiplicetur, & 80. in 720. tum fiunt duo commata in numeris 59049. & 57600. Rursus si 81. in 58049. & 80. in 57600. iterum multiplicentur fiunt tria commata, & sic deinceps.

Secunda. Termini proportionis alicujus per eundem numerum multiplicati quantitatem proportionis non mutant, sed eam integram conservant, ut hic in terminis 729. & 648. est proportio sesquioctava, etiamsi igitur jam hi numeri per 81. multiplicentur, semper tamen quotiescungq; id fit, sesquioctava hæc integra permanet, nec augetur, nec minuitur.

Tertia.